

Deo, & mundo odiosi sunt. Abstine a litibus, & minus peccata.

CAPUT VII.

De quibus rebus decimæ, tum personales, tum prædiales, quæ tempore, & loco solvi debeant.

I. **Q**uest. I. De quibus lucris solvenda sint decimæ personales? Resp. Vi iuris communis de omnibus lucris, & proventibus per indulgiam acquisitis decimæ solvi debent. Ita omnes tum Canonice, tum Theologi. Iura clara sunt. Cap. Transmissa de decim. xxviii. h. t. Fidelis homo de omnibus que licite acquirere potest, decimas erogare tenetur. Cap. Tua nobis, xxvii. De cunctis omnino proventibus decimæ sunt reddende. Cum concordantibus. De vino, grano, fructibus arborum, pecoriibus, negotiatio, de ipsa etiam milita, de venatione, & de omnibus decimæ sunt ministris Ecclesie tribuenda. Item de proventibus molendinorum, piscinarum, feno, de negotio, & artificio. Quare vi iuris communis omnes mercatores de lucris negotiationis acquisitis, omnes milites, doctores, advocati, indices, lectores de suis proventibus, omnes piscatores de præda per piscationem comparata, omnes venatores de venatione, omnes artifices de fructibus suarum artium, omnes famuli, & famule de mercede acquisita decimas solvere tenentur ministris Ecclesie. Sententia communissima.

II. **Q**uest. II. An decimæ solvenda sint de rebus illicite acquisitis? Respondet D. Thomas 2. 2. quest. lxxxvii. art. 2. ad 2. Dicendum, quod aliqua male acquiruntur displiciter. Uno modo, quia ipsa acquisitio est iniusta; puta que acquiruntur per rapinam, aut furum, aut usuram: que homo tenetur restituere, non autem de eis decimas dare. Tamen si aliquis ager sit captus de usura, de fructu eius tenetur usurarius decimas dare. . . . Quædam vero dicuntur male acquisita, quia acquiruntur ex turpi causa; sicut de meretricio, & hisionatu, & aliis huiusmodi: que non tenentur restituere. Unde de talibus tenentur decimas dare secundum modum aliarum personalium decimarum. Tamen Ecclesia non debet eas recipere, quando sunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare; sed postquam penitentur, possunt ab eis de his recipi decimæ.

III. **Q**uest. III. An recentis decimæ personales non solum vi iuris communis, sed etiam

iam ex usu, & consuetudine, que nunc obtinet, solvenda sint? Resp. Decimæ, que iuxta omnes vi iuris communis debentur, usæ, & consuetudine omnes abrogatæ sunt. Nullibi enim, quantum scire licet, solvuntur, ut fatetur communiter Auctores; & quique suæ regionis testis est, eiusmodi decimas non perlovi. Hinc concludit D. Thomas loco laudato ad 1. In nova lege tenentur homines ad decimas personales, secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum. Quare, si in aliqua civitate, vel parochia fundi non essent, ex quibus decimæ perlovi possent, uti est Venetiis, decimæ personales solvende forent, seu fideles aliqua via ministris suis alimenta, que iure naturali & divino eis debentur, illis tribuere adstringerentur. Res est manifesta.

IV. **Q**uest. IV. De quibus rebus decimæ prædiales, seu reales solvenda sint? Resp. Vi iuris communis debentur decimæ Ecclesiis de omnibus, & singulis fructibus qui e terra seu prædis tum communibus, tum novalibus producuntur: de tritico, hordeo, omniæ alia segete, de palea sive integra, vine comminuta, de feno, de omnibus fructibus arborum, de foliis mororum, de nucibus, castaneis, de oleo, vel olivis, de oleribus, & leguminibus. Excipit tamen quosdam fructus minutos D. Thomas loco citato ad 3. qui, inquit, nec in veteri lege determinatum fuit ut de huiusmodi minutis rebus decimæ dentur. . . . Unde & nunc de huiusmodi minutis rebus non tenentur homines decimas dare, nisi forte propter consuetudinem patriæ. Decimæ quoque debentur de pascuis, pratis, delcino, canepæ, de aurii fodinis, argentii fodinis, & de proventibus domorum, elibanorum, molendinorum. In his omnibus consuetudo patriæ consuetudo attendenda est. Nam certum est quod hodie non solvuntur ubique decimæ de omnibus recentis fructibus.

V. **Q**uest. V. An decimæ solvenda sint de fructibus, antequam deducatur expensæ factæ, vel tributa, & vectigalia, ac operariorum præcia? Respondet D. Thomas 2. 2. quest. lxxxvii. artic. 2. ad 4. Debentur autem decimæ de fructibus terre, ingranum provenient ex divino munere. Et ideo decimæ non cadunt sub tributo, nec etiam sunt obnoxia mercedi operariorum. Et ideo non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, quam solvantur decimæ; sed ante omnia debent decimæ solvi ex integris fructibus. D. Thomas accedunt omnes Canonice, & Theologi, qui pariter asserunt, nec detrahendum esse se-

semen, puta tritici, hordei; etiam si quantitas fructus, seu mellis, non excederet quantitatem illius grani quod leminatum fuit. Quare coloni partiarum non possunt ante decimarum solutionem expensas deducere; sed primum ex fructibus in unum cumulum congregatis decimæ extrahi debent; & postea divisio faciendam inter dominum & colonum. Licita tamen est pia illa consuetudo, qua agricolæ ante fructuum decimationem elargiuntur elemosinam ex cumulo tritici, vini, aliorumque fructuum. Immo licita quoque esset consuetudo, si introducta fuisset, extrahendi prius semen terræ mandatum, deinde decimas; quiquid in oppositum dicat Sotus lib. IX. de ius. & iur. quest. iv. artic. 2. Consuetudo enim vim habet potissimum in circumstantiis decimarum, ut supra dictum est: quia quantitas iuris est ecclesiastici.

VI. **Q**uest. VI. De quibus fructibus, qui dicuntur mixti, solvenda sint decimæ, quæ pariter mixta usurpantur? Resp. De omnibus fetus animalium, ut de bobus, capris, & ovibus, de quibus cap. Omnes xvii. quest. vii. dicitur: Omnes decimæ terre, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt: quidquid decimum venerit, sanctificatur Domino. De pullis quoque camelorum, equorum, asinorum, porcorum, de lana pecorum, de lacte, & calce decimæ dandæ sunt. Item ex pullis & ovis gallinarum, & anserum, ex melle, & cera decimæ solvi debent. Fetus animalium non statim ac nati sunt, dandi sunt in decimam. Lanæ post tonas oves, butyrum, & casens in fine collectionis.

VII. **Q**uest. VII. Quo tempore solvenda sint decimæ prædiales? Resp. Statim ac collecti sunt fructus, decimæ solvi debent; ut expresse habetur in cap. Cum homines de decimis. Mandamus quatenus eos cogatis, ut decimam, statim fructibus collectis, persolvant, atque de suberactis, & retentis dignam satisfactionem exhibere precurent. Peccant igitur qui tardius quam par est decimarum solutionem differunt. Non tamen absolute damandi sunt peccati mortalis, ut ait Leopardus tract. vi. disput. iv. quest. xxxv. ubi nimis precipitantes resolvit, peccare mortaliter eos qui differunt solvere decimas ultra tempus constitutum; & de peccato mortali intelligendam esse Glossam ad cap. Cum homines. Neque enim dilatio quoque culpam inducit mortalem. Ex circumstantiarum itaque varietate culpe gravitas colligenda erit. Peccant quoque qui deteriore fructum partem

tum in decimas persolvunt: & si detrimentum sit grave, peccatum erit mortale contra iustitiam; & consequenter debitum erit retributionis faciendæ. Nec tamen tenetur tribuere meliores fructus; sed bona fide ex cumulo manipulorum frumenti, vini, &c. prout res se se offerunt, decerpere fructum quantitatem pro pendendis decimis.

VIII. **Q**uest. VIII. An parochiani tenentur solvere decimas, antequam eas Parochus petat? Resp. teneri parochianum solvere decimas, etiam si Parochus illas non petat: quia uniuersique reddere alteri tenetur quod eius est, etiam illo non petente. Nec enim Ecclesia præcipit ut fideles requirit decimas solvant; sed absolute solutionem præcipit decimarum. Contrariam sententiam defendit Grassius Part. II. cap. xxvii. numer. 15. citatque professe SS. Thomam, & Antoninum. Sed falso, cum ex eorum doctrina aperteffime colligatur oppositum. Solum enim docet Angelicus, quod fideles non peccarent, si decimas solvere omittissent, ubi consuetudo non esset solvendi decimas; peccarent vero, si adeo obliuati essent, ut Ecclesia etiam præcipiente, decimas solvere recusatent: quia Ecclesia auctoritate habet abrogandi consuetudinem non solvendi decimas, & consuetudo contra, repugnat Ecclesie, non præscribit. Ideo, si fideles Ecclesie præcipienti obedire detraherent, culpam gravem committerent. Id, & non amplius docet Angelicus 2. 2. quest. lxxxvii. artic. 1. ad 5. En sancti Doctoris verba. Nec tamen sunt in statu damnationis qui non solvant in illis locis in quibus Ecclesia non petat; nisi forte propter obliuionem animi, habentes voluntatem non solvendi, etiam si eis preceperent. Hæc reuicimus, tanquam nimis laxam, non propositionem, quam docet Van-spen Part. II. tit. xxxiii. cap. ix. numer. 25. pag. 521. Immo, cum decimæ quotannis ex fructibus Ingulis auis excrecentibus debeantur, si uno anno petite non fuerint, sequenti anno duplice persequuntur; immo pro anno illo quo petite non fuerint, remissa habentur. Hæc opinio improbabilis est, & laxa. Nam præceptum est absolute; & parochiani absolute decimas debent, iure quidem naturali, & divino secundum substantiam, ut aiunt; iure vero ecclesiastico secundum quantitatem definitam ab Ecclesia. Asserere autem debitorem non adstringi, nisi requisitum, ad debiti solutionem, salissimum est: nec longiore opus habet impugnatione.

IX. **Q**uest. IX. Quo in loco solvenda sint decimæ? Resp. Ius commune nihil, ad hoc quod

quod attinet, determinavit. Non pauci Canonistæ docent, decimas deferendas esse a parochianis in domum, sive ad horrea, vel Ecclesias ministrorum. Alii sentiunt solendas esse in agro, sive in loco in quo fructus mactantur, solumque debitum esse parochiano monendi Parochum, ut deferri curet decimas ad locum destinatum. Sic docent Suarez Tom. I. de Relig. tractat. 11. Lib. I. cap. xxxvii. numer. 7. & Leander tract. 1v. disput. vi. quest. xxxviii. & alii plures. Sed in hoc standum est consuetudini, qua sane in his regionibus contraria obtinet: & ut mea præfer opinio; rationabilior est, ac ipsi præcepto magis consentanea. Nam, ut ipsemet Suarez advertit citato loco numer. 1. præceptum in veteri lege erat offerre decimas: Exod. xxii. Debet ergo fideles offerre decimas. Quibus? Ministris Ecclesie. Verbum autem offerre essentialiter includit deferre: qui enim offert victimam Sacerdoti, simul eam deferat. Quomodo namque offerre quis potest aliquid, si illud non deferat, vel non habeat prædens. Si itaque fideles in divini præcepti tenore offerre alimenta congrua ministris suis; profecto eadem illis præferant, seu deferre adstringuntur. Id invidere videtur ratio, cui consuetudo pluribus saltem in locis consentanea est. Si tamen alicubi contrarius vigeat usus, cum nihil, ut dictum est, in iure decretum sit, illi standum est. Illud tamen communiter advertunt Auctores, non posse parochianos recondere, vi iuris, fructus sine contentione Parochorum. Siquidem ex reg. 29. iuris in 6. Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Sed etiam in hoc standum est consuetudini, que contraria est: frequentior liquidum usus est, quo ex cumulo fructuum decimæ decernantur, postquam in horrea sunt delata frumentum, vinum, & cereæ fruges, quantum mensure vix præcipi possunt, nisi in horreo.

X. Quest. X. An decimæ prædiales, seu reales solvenda sint illi parochia in cuius territorio prædialia reperitur? Respondet D. Thomas 2. 2. quest. lxxxviii. artic. 3. ad 2. Decimæ personales debentur Ecclesie in cuius parochia homo habitat; decimæ vero prædiales rationalibiter magis videntur pertinere ad Ecclesiam in cuius terminis prædialia sita sunt.

XI. Quest. XI. An decimæ animalium solvenda sint parochie in cuius territorio paſcuntur, & fetus pariunt; licet domini habitent in alia parochia, vel, si hieme in una, æstate in altera habitent, sint inter utraque parochias dividenda? Respondet. Etiam huiusmodi respondet D. Thomas loc. citat. his

verbis. *Pastor autem qui diversis temporibus in duabus parochiis gregem paſcit, debet proportionaliter utrique Ecclesie decimas solvere: & quia ex paſcis fructus gregis proveniunt, magis debetur decima gregis Ecclesie in cuius territorio grex paſcitur, quam illi in cuius territorio grex locatur.* Hinc doctrina D. Thomæ communiter subſcribitur & Theologi, & Canonistæ. Ex qua doctrina colligitur, id etiam quod uno ore afferunt Theologi, nimirum, si oves in una parochia paſcantur, in altera iaceant nocte, & dormiant, decimæ debentur illi parochie in qua paſcantur; quamvis oppositum doceret Suarez loc. cit. cap. xxi. numer. 10. scilicet decimas esse in tali casu dividendas. Sed D. Thomæ doctrina rationabilior est: quoniam fetus gregis postissimum ex paſcis, & agris proveniunt: unde cum agri & paſca decimarum oneri subſcribantur; potius illi Ecclesie in qua paſca sita sunt, decimæ gregis exſolvī debent. Quare, etiamſi dominus ovium domicilium haberet in una parochia, & grex per integrum annum paſceretur in altera parochia, huic, & non illi, decimæ deberentur. Decimæ vero non debentur Ecclesiis per quarum territorium oves tranſeunt paſcantur. Decimæ quoque de fructibus apum debentur illi parochie, in cuius territorio sunt apes, licet dominus in altera habitet; quia tales decimæ sunt prædiales. Cera enim, & mel ex herbarum floribus proveniunt. Verum & in hoc consuetudo ſervanda.

CAPUT VIII.

De culpa, & penis non ſolvendum decimas: de variis modis quibus decimæ defraudari poſſunt: & de ſivis quibus obligatio decimarum aſſerri valeat.

I. Solatio decimarum, quatenus alit ministrorum Ecclesie, est actus iustitiae; prout vero solatio hæc consideratur, tamquam oblatio decimarum Deo facta in recognitionem supremi domini, est actus religionis; quemadmodum docet Angelicus sæpius dicta quest. lxxxvii. Ex quo conſequitur, de fraudatore decimarum peccatum committere & iniustitiam, & sacrilegi: quia peccat contra iustitiam, & religionem.

II. Quest. I. An late sint aliquæ penæ contra defraudatores decimarum? Resp. Contra non solventes, aut impediētes decimarum solutionem lata est pena excommunicationis: quam ipso facto incurri, docet Rebuffus q. ult. numer. 15. de decim. Sed hæc opinio fallit, ut

est, ut aperte colligitur ex cap. Statuimus xv. q. 1. & clarus ex Tridentino sess. xxv. c. xix. de reſt. ubi hæc habentur: *Qui decimas aut ſubſtrahunt, aut impediunt, excommunicantur; nec de hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecta, abſolvantur.* Excommunicationi ergo ſubſcindiuntur qui decimas exſolvere reculant; nequaquam vero ſunt ipſo facto excommunicati. Quare præmittenda admonitio eſt, antequam excommunicatione inſiſſatur. Huic enim penæ contumacia præire debet, ut communitur Auctores docent. Si Parochus debitum remittat alicui ſolventi decimas; iſe nec culpam, nec excommunicationem incurrit. Qui, dum conſtituitur, imponitur vere eſt ad decimas ſolvendas, abſolvitur; etiamſi ſua culpa in hæc ſe coniecit impotentiam: quia Tridentinum non abſolvendos eſſe declarat illos qui poſſunt, noluntque proprium implere debitum. Ad excommunicationem vero evitandam non ſufficit augere decimarum partem tribuere; ſed integre decimæ reddende ſunt. Privandi quoque iure eccleſiaſtica ſepultura qui contumaces reſtituere defraudatas decimas renuunt; prout ſtatuitur in cap. Prohibemus de decimis, his verbis: *Prohibemus ne laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes in alios laicos poſſint aliquo modo tranſferre. Si quis vero receperit, & Eccleſie non reddiderit, chriſtiana ſepultura privetur.* Hanc tamen penam præcedere debet excommunicatione reſta inſiſſa. Excommunicationi tandem obnoxii ſunt Religioſi, qui decimas ad ipſos non pertinentem recipiunt, vel occupant, uſurpantque. Idque habetur expreſſe in Clementina v. de decimis. Ex in Clement. Cupientes v. Suspendionis quoque penam incurrit Religioſus Conſellarius, qui penitentibus ſuis, in ſolutione decimarum retractatis, nullum conſcientie ſcrupulum iniungit, docet Suarez Tom. I. de Relig. tract. 11. Lib. I. cap. xxxix. numer. 8. quam penam colligit ex Clem. Cupientes. Ut tamen huic penæ obnoxii ſint Conſellarii, non ſufficit quicumque negligentia; ſed gravis requiritur malitia. Quod dictum eſt de non ſolventibus decimas, idem dicendum de impediētibz ſolutionem.

III. Quest. II. An qui fructus non decimas ſolvunt, teneatur ad reſtituendas Eccleſie decimas eorumdem fructuum? Resp. Certum eſt cum ad reſtitutionem teneri; quia decimæ pars telium fructuum pertinet ad Eccleſiam. Quare ſervi, famuli, filii, qui ex fructibus non decimatis magnam quantitatem furantur, decimam reſtituere debent, ſub mortali quidem, ſi quantitas gravis fuerit; Conc. Theol. Tom. V.

ſub veniali vero, ſi quantitas parva extiterit. Satis tamen eſt, ſi fructus omnes domino reſtituant. Immo, ipſi propria aſſortitate nequeunt novem partes reſtituere domino, decimam vero Eccleſie: quia de aliena re ſolvere ipſi decimas non debent. Dominus vero de fructibus, ſurto vel rapina ſubſtat, antequam illos recuperet, decimas ſolvere non adſtringitur, ut docet D. Thomas 2. 2. quest. lxxxvi. art. 2. ad 4. De his qua ſurto, vel rapina tolluntur, ille a quo auferuntur, decimas ſolvere non tenetur, & antequam recuperet, niſi propter negligentiam, vel culpam ſuam dampnum incurrit: quia ex hoc Eccleſia non debet damnificari. Qui ſpicas portu meliores colligunt, curandam decimas ſolvere non tenentur; ſecus dicendum de illis qui ante meſſem ſpicas furantur.

IV. Quest. III. An emptor, qui fructus non decimatis emit, teneatur ſolvere decimas? Resp. Emptor poteſt vel bona, vel mala fide tales fructus emere. Si advertat fructus non eſſe decimatis, & non habeat intentionem ſolvendi decimas, quod ſolvere debet venditor, eſt emptor male fidei, & peccat; teneaturque ad reſtitutionem, tum ratione iniuſte acceptiōnis, tum ratione rei acceptæ. Si vero emptor bona fide emit, putans venditorem ſatiſfecille debito perſolvendi decimas; nullumque habeat fundamentum ſuſpicandi oppoſitum, tunc nullo modo peccat; ſed ratione rei acceptæ ad reſtitutionem decimarum Eccleſie faciendam tenetur, ſervato ſibi iure adverſus venditorem. Quare Eccleſia habet actionem adverſus tum venditorem, tum emptorem. Ita D. Thomas loco proxime laudato his verbis: *Si vero venditor triticum non decimatum, poteſt Eccleſia decimas exigere & abemptore, quia habet verum Eccleſie debitum, & a venditore, quia quantum eſt de ſe Eccleſiam defraudavit. Uno tamen ſolvendo, alius non tenetur.*

V. Quest. IV. An comburentes, seu defringentes ſeges & fructus, arboſque ſuccidantes, teneantur ad ſtrictas decimas Eccleſie reſtituere. Resp. Calropalaus Tom. II. tractat. x. punct. 2. numer. 9. hæc docet poſſitionem: *Quarto inferitur, impediētem a ventilatione, plicatione, aut ſeges aliorum injuſte comburentem, aut damnificantiem, non teneri Eccleſie reſtituere decimam partem illarum: quia Eccleſie ſolum debentur decimæ de fructibus collectis, & perceptis, non de colligendis.* Hæc poſſitio nimis laxa mihi videtur. Nam ex ea conſequitur, latronem furantem fructus, triticum nempe, vinum, aliaque ſeges, antequam colligantur, non teneri ad decimas

marum restitutionem: quod Theologorum nemo concesserit. Vana nimum elatio qua assignatur, nimirum quod decimæ debeantur de fructibus collectis: quoniam, antequam colligantur, decima pars neque sappatari, neque reddi potest. Etiam coloni solum de fructibus collectis pensiones frumenti, vini, aliarumque segetum dominis suis solvunt. Qui ergo fructus illos ante collectionem destruant, comburant, vel furantur, ad restitutionem non tenentur. Id profecto maxime absurdum est. Teneatur ergo iniuste comburens, delitens, & furans, fructus segetumque ad compensandam & dominum & Ecclesiam: quia tum dominus, tum Ecclesia damnum grave, & reale subierunt. Ergo qui damnum intulit, illud rescire debet. Ita committitur Theologi cum D. Thoma: ex cuius doctrina, numeris precedentibus relata, evidenter eruitur præterius resolutio. Qui in bello iusto segetes, arboribus succidunt, quia id necessarium indicat ad victoriam, & belandum cum hoste, ad restitutionem, seu compensationem decimarum non tenentur; secus dicendum, si dicta combustio nullo modo necessaria foret ad bellum expedite peragendum.

VI. Quæst. V. An parochianus qui proprias segetes, vineas, aliisque fructus ante collectionem comburit, vel fructus collectos sua culpa perire sinit, teneatur pro destructis decimis Ecclesie satisfacere? Resp. Bonacina disp. unica quæst. v. punct. 3. num. 11. hæc scribit. Addunt aliqui Doctores, eum qui iniuste segetes comburit, aut conculeat, vel arbores succidit, etiam si fuerit dominus agri, teneri ad restitutionem decimarum, quæ salutaris fuissent. Nam censetur causa efficax huius damni Ecclesie, quæ habet ius exigendi decimas.

Ergo vero probabilius existimo, non teneri, quia dominus agri non tenetur solvere decimas agri ex fructibus quos sua culpa non collegit, ergo neque teneri, si segetes combussisset, antequam fructus colligeret. Præterea qui impedit aliquem iniuste, ne feras, aut pisces capiat, quorum decima solvenda fuisset, non tenetur ad restitutionem: ergo neque teneri qui segetes nondam collectas combussit. Non modo probabilis, sed, quod mirari fatis non subit, probabilior Bonacine est hæc sua opinio. Contra mihi improbabili, & laxa videtur. Aliud est quod quis non teneatur agros colere, ut decimas solvat. Hoc & nos concedimus. Nec S. Thomas laudata q. lxxxvii. art. 2. contrarium docuit, ut falso ei imponit Bonacina loco citato sub initium numeri;

sed solum docet sententiam contrariam laxæ opinioni Bonacine, ut mox videbimus. Aliud vero est quod de productis fructibus, qui ad messem tendunt, suntque eidem proximi, decimæ non debeantur. Utique solvi non debent fructus, antequam colligantur; sicuti neque domino colono solvere eos vel debet, vel potest ante collectionem. Decimæ prædiales, ut dictum est, sunt onus reale agris affixum. Fructus cum tali onere nascuntur. Qui illos vel rapit, vel destruit, damnum infert Ecclesie, quam privat fructibus illi debitis. Argumentatio Bonacine a decimis personalibus ad decimas prædiales inepta est. Qui impedit aliquem iniuste ne feras, aut pisces capiat . . . non tenetur ad restitutionem: ergo neque teneri qui segetes nondam collectas combussit. Decimæ de veneratione, & piscatione personales sunt, quæ nunc non solvantur. Anne piscibus, & feris onus reale decimarum, quemadmodum prædialis, adnexum est? Præterquamquod, ut paritas qualem saltem speciem similibus tudinis præferret, sic efformari deberet. Sicut qui impedit aliquem, ne pisces capiat, non est obnoxius restitutioni; ita neque qui impedit alium, ne terram areæ, occet, colatque, ad restituendum tenetur. Et forte tum probabilis foret illatio ob impedimentum similis remotioni. Vel alio modo, & magis directo, paritas institueda fuisset. Qui impedit alium ne feras capiat, non tenetur ad restitutionem: ergo neque qui impedit, ne fructus iam maturos, ne segetem albam ad messem colligat, tenetur ad restitutionem. Quo quid absurdum dici possit, non video. Ius habet Ecclesia supra fructus, & segetes agrorum, seu pradiorum; sed de his disponere nequit, neque actum aliquem exercere super illas, antequam colligantur; sicuti nec dominus pradiorum ante suam collectionem ad decimas solvendas adstringitur. Qui ergo lædit hoc ius Ecclesie, qui eam privat proprio actu iustus iuris, qui denique illi furripit fructus ad quos ius habet, grave ei infert damnum: ergo ad compensationem obstringitur. Neque limitatio, quam addit Bonacina, laxitatem fuit sententia temperat. Subdit namque, se non obligare ad restitutionem comburentem segetes, nisi segetes, seu fructus arborum in eo essent statu ut traditi deberent Ecclesie ad decimam. Quia iuxta eius doctrinam non aliud significat hæc limitatio, nisi quod, si quis combureret agrum iam excultum, vel manipulos triticini areæ, teneretur ad restitutionem. Quippe solum in hoc statu fructus apti sunt ut Ec-

elevari tradantur: quia solum post collectionem decimæ reipia solvi debent. Ceterum, si dominus frumentum iam messi proximum ad suam pravam iniquitatem volentem comburare, eum ad decimarum restitutionem non teneri, resolvit Bonacina; idem probabilius indicat. Mihi vero improbabile videtur. Et hæc nostram sententiam communitissime docent Theologi, Suarez Tom. I. de Relig. tract. 11. Lib. I. cap. xxxvi. num. 17. Covarruvias part. 11. §. 8. num. 18. Fillucius tract. xxvii. cap. xi. quæst. viii. num. 246. Trullench. Lib. III. in Decalog. cap. 111. dub. 2. Raphael de la Torre in 2. 2. quæst. lxxxvii. disp. x. Sed sufficiat unum pro omnibus D. Thomas, contra quem decretorie Bonacina loco laudato resolvit his verbis: Respondeo non teneri . . . contra sanctum Thomam. Et, quod magis festivum est, nec verbum habet S. Thomas de ea quam Bonacina veritat questione. Siquidem Bonacina resolvit, non teneri ad restitutionem decimarum dominum qui sine negligentia agros non colit: de quo nihil scribit D. Thomas, qui loco citato a Bonacina, nempe 2. 2. quæst. lxxxvii. art. 2. ad 4. solum asserit, dominum qui sua culpabili negligentia a latrone auferri permittit fructus iam productos, ad eam compensationem teneri. En verba Angelici, Ille a quo auferuntur (fructus) decimas solvere non tenetur, antequam reciperet; nisi forte propter negligentiam, vel culpam suam damnum incurrit. Hæc, & non amplius habet Angelicus loco citato. Et hæc angelicam doctrinam, fructibus collectis applicatam, excipiunt communitur Theologi, Sotus, Suarez, Glossa, Angelus, Rebuffus, Fagundes, Trullench, Fillucius, Leander; quin & ipse Bonacina, qui immerito pro sua prior opinione, modo a nobis impugnata, alegat Lessium, & Molinam, qui solum loquuntur de fructibus in bello combustis. Sed de hoc pluraquam satis.

VII. Quæst. VI. An dominus qui voluit colligere fructus iam maturos, qui ob illius negligentiam graviter culpabiliter perierunt, teneatur ad restitutionem decimæ dependit? Resp. Suarez Tom. I. de Relig. Lib. I. cap. xxxvi. num. 20. in eam pendit opinionem quæ propagat hæc ad restitutionem non teneri: quam sententiam descendunt Fillucius, Caltopalpus, Bonacina, & Trullench. Sed contraria sententia, quæ clare deducitur ex D. Thomæ doctrina, mihi probabilior est, quam defendit Sotus, de iustit. & iur. Lib. IX. quæst. 1v. art. 2. Leander tract. vi. disp. 11. quæst. xviii. Contraria

sententia patroni ex eo decipiuntur, quod præterit, præterit Ecclesie non extendi nisi ad decimas collectas: quod iuxta ipsorum doctrinam falsissimum est. Enimvero & ipsi quidem docent, decimas prædiales esse onus reale quod iuris prædialis, quocumque devolvatur, adheret, ita ut, si prædialia semel decimis subiecta in dominium deveniant Regularium, vi iuris communis obnoxia sint decimarum solutioni: quia, inquit Suarez cum aliis, decima prædialis est onus reale prædialis, & agris affixum. Quo posito tamquam certo, hæc efformo rationem. Hoc onus, hoc debitum, decimarum prædialis adnexum, cui potestati, cui iuri subicitur? Alicui enim iuri subiciatur oportet. Quandoquidem debitor, & creditor duo sunt, quorum unus sine altero non consistit. Quin repugnat dari debitum, nisi detur illi qui ius habeat illud exigendi. Onus ergo ius debitorum decimarum est alicui iuri & potestati subiectum. Hoc ius, hæc potestas in sola Ecclesia parochiali residet. Ergo Ecclesia ius habet in fructus pradiorum, antequam colligantur. Quia omnia competentissima sunt. Verum porro est quod ius istud Ecclesia executioni mandare non potest, nisi post fructuum collectionem: neque dominus agrorum decimas solvere tenetur, immo nec qui solvere ante collectionem: quia decima pars decipi non valet ex aliis partibus, nisi detur cumulus illarum partium. Hoc autem haberi non potest, nisi fructibus collectis. Quam ob causam dicitur, fideles non adstringi ad solvendas decimas, nisi de collectis fructibus, non de collegendis. Cum itaque evidens sit Ecclesiam iure potiri in fructus colligendos; consequitur, dominum qui sua negligentia graviter culpabiliter fructus illos perire sinit, ex quo nodi opportuno tempore eisdem colligere, damnum inferre Ecclesie, illiusque ius ledere. Ergo ad rescandendum hoc lesum ius tenetur.

VIII. Quæst. VII. An qui volunt colere agros, vel qui agros, aut vineas in domos convertunt, teneantur ad compensationem decimarum? Resp. Communis opinio est negativa quoad utramque partem: quia præceptum solvendi decimas nullo modo extenditur ad cogendos fideles, ut agros colant, sed solum ut de agris prædialibus fructus significantibus decimas pendant. In fundis quoque vinearum, & agrorum domos edificare possunt: quia domini pro libito uti de his valent. Et hæc clara sunt quam ut longiore egeant discussione.

IX. Quæst. VIII. An Parochi valeant pro-

pria auctoritate a suis parochianis decimas accipere, vel volentibus solvere sacramenta denegare? Resp. Neutrum potest Parochus. Parochianus legitimus possessor est prediorum, & fructuum inde nascentium. Nullus autem possessor verus re sua ipsolarii a privata auctoritate licite potest; sed in iudicium publicum vocari debet, si debita iura persequatur reculat. Qua de causa nequit Parochus sacramenta denegare iis qui decimas pendere nolunt, nisi sint per iudicis sententiam, servatis iuris formulis, declarati contumaces; & sitque eorum peccatum publicum, & ut dicitur, notorium. Ad quos vero iudices pertineat super his causis iudicium ferre, alibi dicam.

X. Quæst. IX. Quot modis cessat debitum solvendi decimas? Resp. Quatuor modis iuxta communissimam Theologorum sententiam extinguitur debitum pendendi decimas quoad quantitatem (nam, prout alimenta spectant necessaria ad congruam ministrorum sustentationem, iuris sunt naturalis, ut supra dictum est, nullique mutationi obnoxia) privilegio, consuetudine, præscriptione, contractu, seu pacto. De privilegio iam dictum est supra, nempe summum Pontificem posse iura Ecclesiasticis, tum laicis inibi obsoletam privilegium impartire eximens a decimis. Dicitum quoque est, eiusmodi privilegium, utpote odiosum, strictioris esse interpretationis. Quare qui privilegium obtinuit non solvendi decimas absolute, tenetur eas solvere de novalibus. De consuetudine itidem verba fecimus, ipsam scilicet magnam vim habere in decimarum materia, salva semper congrua ministrorum sustentatione. Idem de præscriptione celsendum. Obiter animadvertendum est, hoc consuetu inem inter & præscriptionem districim versari, quod consuetudo quid iuris dicitur, præscriptio quid facti. Ad consuetudinem inveniendam communitatis requiritur consensus; ad præscriptionem vero satis est factum particulari persone. Per præscriptionem private personæ acquiritur. In præscriptione bona fides necessaria est, secus in consuetudine. Sed de hoc fusius suo loco. Laici vi consuetudinis, aut præscriptionis immunes a decimarum solutione evadere possunt; minime vero acquirere valent ius exigendi decimas. Quoniam hoc ius, ut dictum est, spirituale est, utpote fundatum in titulo spirituali. Et hoc ius primum a quibusdam vocatur. Aliud vero ius vocant secundarium, puta illud quod Pontifices concedere quandoque solent Prin-

cipibus eligendi ab Ecclesiasticis decimas in Ecclesia defensionem, aut illud quod militibus Ecclesie alii conferunt pro exactione fructuum: quod ius, seu facultas vendi potest, utpote temporale, & consequenter præscriptioni obnoxium est; secus ius primum in ministerio spirituali fundatum. Itaque tum communitates vi consuetudinis, tum persone private vi præscriptionis a debito solvendi decimas, modo explicato, liberari possunt. Ad hoc tamen, ut præscriptio vim habeat contra Ecclesiam in ius quæ iuri communi adversantur, requiritur spatium quadraginta annorum cum titulo; aut tempus immemorabile sine titulo expresso: tempus enim immemorabile aequivalet titulo; ut in materia de præscriptione dicitur. Pariter ad consuetudinem, liberantem ab onere decimarum, intervallum quadraginta annorum necessarium est. Requiritur quoque ad valorem consuetudinis consensus, saltem tacitus, summi Pontificis.

XI. Ex dictis consequitur, consuetudinem potissimum introduci posse, ut decime vel in minori, vel in maiori quota, ut ex his, secus ex aliis fructibus, ut modo uni, modo alteri parochie solvantur. Parochia que quadraginta annorum spatio percepit decimas ex prædictis sitis in territorio alterius parochie, & etiam ex terra inculca, si ex tali terra fiant prædia novalia, etiam ex his novalibus decimas percipiendi ius habebit. Si vero ex agris, prædictis fundis, ex quibus facta sunt novalia, illi parochie, in cuius territorio sita sunt, decime solvi debent. Ratio clara est: quia præscriptio favere non potest sine possessione, quam super perceptionem fructuum ex terra inculca numquam habuisse supponitur. Ex alia parte decime, quando alia non obstant, de novalibus illi parochie debentur in cuius ditone ita reperitur. Qui præscripsit ius exigendi decimas vini, si vinea aratro colatur, signatque triticum loco vini, triticum solvi debet: quia onus decimarum reale est quod afficit prædium, ut frugiferum. Quod vero fructus sint unius, aut alterius generis, nihil admodum refert. Qui ex unius fundi parte decimas legitima præscriptione collegit, secus ex altera, quia inculca erat; si postea hæc pars aqua fiat, ex eadem quoque decimas percipere potest; dummodo fundus sit realiter unus. Si enim ager, qui noviter colitur, sit separatus; constat præscriptioni alterius agri illum non subiacere.

XII. Quæst. X. An compositio, & translatio

Ho super decimis valida sit? Resp. Quarto modo debitum solvendi, vel percipiendi decimas cessat per compositionem, aut transactionem. Compositio est gratia quadam conventio. Transactio est pactio quadam de re dubia, & lite incerta, aliquo dato, vel retento. Sæpius pro eodem accipiuntur compositio, & transactio. Compositio, facta inter partes super decimarum difficultatibus, valida est, consensu superiorum interveniente. Si sit inter personas ecclesiasticas, satis est consensus Episcopi; ut decrevit Alexander III. in cap. Statuimus, de transact. ubi ait: Statuimus ut, si super decimis inter eos & aliquam personam ecclesiasticam de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi sui compositio facta fuerit, rata & inconcussa persistat. Quod intelligendum est de compositione in perpetuum duratura: compositio enim ad tempus fieri potest inter Parochos seu Curatos abique Episcopi consensu; quæ compositio extinguitur cum mortali componentum. Super decimis præscriptis Parochus, vel Curatus compositionem peragere valet cum laicis sine ullius consensu: quia sicut potest Parochus remittere, & donare fructus illos, abique tamen damno pauperum; ita & compositionem super illis facere valet. Ut autem compositio inter Parochos & laicos super futura exemptione ab aliqua decima valida sit, Papæ consensus requiritur: quo assensu accedente, compositio contractus tenet. Quod dictum est de compositione, idem etiam de transactione dicendum: pro solem enim nunc sumuntur. Si tamen transactio, seu compositio sit temporaria, puta quod tali tempore, & tali loco, post tot dies a collectis fructibus, decime solvantur; solius Episcopi auctoritate firmata valet. Quod ipsum dicendum, si compositio fiat super iure dubio, quando nempe dubium suboritur super privilegio Papæ, laicis concessio: siquidem in hoc eventu compositio, cum causæ cognitioe facta, & per Episcopum confirmata, valida foret. Hæc omnia communia sunt penes Theologos, & Canonistas.

CAPUT IX.

De Ecclesiis, & personis, quibus decime solvi debent.

I. PAUCIS expediens caput istud: quia ex dictis constat, ad quos decime in re pertinent. Olim decime certis Clericorum solvebantur, quarum distributor erat

loci Episcopus, qui pro meritis eadem Ecclesie militibus distribuebat. Caus. xvi. qu. vii. can. I. Decimas sub manus Episcopi esse censens, ut ille qui ceteris præfuit, omnibus iuste distribuat.

II. Facta bonorum ecclesiasticorum partitione, iure communi hodierno lollis Parochis decime debentur. Cap. Cum contingat. Perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de iure communis pertinet. Et cap. Cum tu. Ad Ecclesias parochiales de iure communi spectat perceptio decimarum. Barbosa de offic. & potest. Paroch. Part. III. cap. xxviii. §. 2. num. 7. & seq. Paganus in cap. Cum contingat xxix. h. t. & est communis penes omnes. Hic animadvertendum est, iura declarare, non ad Patochos, sed ad Ecclesias parochiales decimarum spectare perceptionem. Quare Parochus nullum ius habet ad decimas exigendas, nisi illud fundatum sit in titulo Ecclesie parochialis, cuius est Pastor. Ad omnia ergo que Ecclesie parochialis sunt adnexa, Parochus ius habet, eo quod præfatum parochialem Ecclesiam in totum possidet. Qua ratione etiam Beneficiarius ius habet ad proventus Beneficium adnexi.

III. Quæst. I. An, quando Ecclesie parochiales incorporantur, seu appropriantur Monasteriis, & Capitulis, cessantur incorporatæ parvas decimas? Resp. Communis est Canonistarum sententia, vi illius incorporationis, omnia que sunt Ecclesiis parochialibus adnexa, devolvi ad ipsa Monasteria, vel Capitula, ita ut titulus, & ius dictarum Ecclesiarum cum eisdem Ecclesiis in Monasteria, vel Capitula transferantur. Quapropter Presbyter, seu Vicarius, seu Curatus, curam spirituales exercens Ecclesie incorporate Monasterio, nullo modo eam in titulum possidet; & propterea nec ius habet ullum in decimas, intra consilia eisdem parochie exerecentis; sed lollus et debetur congrua sustentatio. Verum de hoc suo loco fusius.

IV. Quæst. II. An in aliquibus casibus decime solvebantur Episcopo? Resp. Antequam Ecclesia terris, fundis, & redditibus ditata esset, omnium ecclesiasticorum proventus in sua diocesi quarta Episcopo debebatur. At vi iuris hodierni nulla decimarum parochialium portio ad Episcopum spectat. Aliqui tamen sunt casus in quibus decime Episcopo solvi debent. Primus est, quando decime adnexæ iuri Ecclesie cathedrali, cuius Parochus est ipse Episcopus; ut colligitur ex cap. Cum contingat. Si tamen Eccle-

Ecclesie cathedralis esset Parochus alius Sacerdos, huic decima deberetur. Secundus casus est, quando prædia non sunt alicui parochie determinate affixa. Hæc prædia tunc censentur sub iurisdictione Episcopi, & deo ex præfatis prædiis decima solvenda sunt. Tertio, quando parochia in diocesi distincta non sunt, sed tota diocesis unica est parochia, cuius Parochus est ipse Episcopus, eidem Episcopo decima debetur. Quarto tandem, quando Ecclesie episcopali, vel cathedrali decima titulo vel donationis, vel consuetudine, sive quocumque alio iure, debite sunt, Episcopo solvi debent. Ita Azorius Lib. VII. Inscr. Mor. cap. xxv. quæst. ix. illamque optime tunc hoc capite citat Barbola quæst. ix. Quare errat Leander tract. vi. disp. viii. quæst. 111. ubi citat Azorium lib. cap. xxxvi. & corrigit Barbolam, citantem Azorium eundem sub cap. xxv. Passim sumum criterium Auctor ille exercet in his generis, & quælibet, ac passim decimat.

V. Quæst. III. An Parochia divitibus, vel prædix moribus infelicis, decima solvi debeant? Resp. Parochis, quamvis divitibus, decima solvenda sunt: quoniam non ratione, & intuitu personarum, sive divitum, sive pauperum, decima penduntur; sed ratione spiritualis ministerii. Quis dixerit, Regi diviti, & opulento tributa solvenda non esse, aut reddenda non esse debita creditorum pecunio? Parochis quoque male moratis decima debentur eadem ratione, quod scilicet non ob meritum, vel virtutem personæ, sed propter officium, & curam spirituales a Domino præcipiantur. Iam sub initium dissertationis divimus, damnatum fuisse in Concilio Constantiensi sess. xlv. Wiclefii errorem, essentibus liberum esse fidelibus denegare Sacerdotibus malis decimas. Quod etiam verum fuit in cap. Tua nobis, de decim. Prætextu vero nequitia Clericorum nequeunt eas, hoc esse decimas, nisi quibus ex mandato arduo debentur, pro suo arbitrio erogare, cum nulli sit licitum aliena cuique concedere præter domini voluntatem.

VI. Quæst. IV. An Canonice, Clericis beneficium habentibus, & Regularibus qui curam parochialem exercent, decimas solvenda sint? Resp. Omnes præfati ius habent ad decimas exigendas: quia sicut, facta divisione parochiarum, Parochus quisque ius habet percipiendi decimas in sua parochia; ita, portione facta redituum in plura beneficia, quisque Beneficiatus ius habet, & titulum exigendi decimas que affixæ sunt proprio beneficio. Idque manifeste habetur in cap.

Ex parte de decim. Animadvertendum tamen est, solis Parochis, sed curam animarum exercentibus, ex iustitia decimas deberi; ceteris autem ex præcepto mere Ecclesie. Hinc, si Regularis parochialem Ecclesiam administrat, illis, tanquam veris Parochis, decime debites sunt. Quandoquidem neque Clericis simplicibus, neque Regularibus ratione sacerdotum ordinum decime debentur; sed tantum ratione ministerii spiritualis: sive postea hoc spirituale ministerium exercent Clerici, sive Regulares, idem ius acquirunt; & propterea æque secuturis, ac primis decime solvenda sunt.

VII. Quæst. V. An laici aliquibus decime solvi debeant? Resp. Iam sæpius dictum est, laicos ineptos propterea esse ad decimarum ius, quod spirituale est, in ministerio ecclesiastico fundatum. Solum laici percipere possunt decimas, vel ratione privilegii tamquam Pontificis, vel ratione alicuius contractus, quod ministri ecclesiastici ad tempus locare valent illis facultatem, seu potestatem exigendi decimas sibi debitas. Quæ potestas, utpote fundata in contractu, sive locationis, vel venditionis, non spiritualis, sed temporalis est. Manifestum autem est posse ministros Ecclesie locare laicis potestatem exigendi decimas, ut habetur in cap. Veltra. Diocesanorum Episcoporum statuto contrario non obstantem, vestrarum decimarum proventus illis libere locare potestis, cum quibus Ecclesie vestra conditionem potestis facere meliorem; ita tamen, quod huiusmodi locatio ad feudum, vel alienationem non rationem habeat. Tamen autem infra, quod ecclesiastici ministri decimarum exactionem locare queunt, est triennium; ut decrevit Paulus II. in Extraroganti Arbitriola, de rebus ecclæs. non alienand. Hæc omnia præse, & distindec de Angelicus 2. 2. q. lxxxvii. art. 2. & 3. videlicet & solis Clericis ratione ministerii ius decimarum competere, & laicis facultatem eandem exigendi concepi posse. Ratione (inquit art. 2.) solutionis decimarum est debitum quo seminantibus spiritualia debentur carnalia. Deinde lubdit artic. 3. ius illud solis Clericis ministris Ecclesie convenire, in quantum consequitur illud debitum quo ministris aliis debentur semper de ministerio, & quo seminantibus spiritualia debentur temporalia: quod ad solos Clericos pertinet habentes curam animarum; & ideo eis solis competit hoc ius habere. Res autem que nomine decimarum dantur, corporales sunt. Unde possunt in usum quorumlibet cadere; & sic possunt etiam ad laicos pervenire. Tandem

dem in responsione ad tertium concludit. Sicut res nomine decime acceptas potest Ecclesie alicui laico tradere, ita etiam potest eis concedere, ut dandas decimas ipsi accipiant, ita ut accipiendi ministris Ecclesie referant; sive pro necessitate Ecclesie, sicut quibusdam ministris decime debentur in feudum per Ecclesiam concessæ, sive etiam ad subventionem pauperum, sicut quibusdam Religiosis laicis, vel non habentibus curam animarum aliquæ decime sunt concessæ per modum elemosynæ. Quibusdam tamen Religiosis competit accipere decimas ex eo quod habent curam animarum.

VIII. In calce huius dissertationis pauca adiciam, quibus & fideles pii excitentur ad decimas solvendas, & refractarii terrentur; & tandem ipsi Ecclesie ministri decimarum exactores permoveantur ad eandem distribuendas laudumque plas fidelium voluntates. Atque in primis ampla sunt presentia quæ fidelibus, decimas Ecclesie ministris animo hilaro ac devoto, largaque manu offerentibus, Deus etiam in hoc mundo retribuit. II. Paralip. cxxx. vers. 8. Cumque ingressi essent Ezechias, & principes eius, viderant acervos, & benedixerunt Domino, ac populo Israel. Interrogavitque Ezechias Sacerdotes, & Levitas, cur ita iacebant acervi. Respondit illi Azarias Sacerdos... dicens: Ex quo offerri ceperunt primitie in dono Domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eo quod benedixit Dominus populo suo. Religionem autem copia esse ista, quam coram. Præcipit igitur Ezechias ut prepararentur horrea in dono Domini: quod cum fecissent, intraverunt tam primitias, quam decimas, & quæcumque venerant, fideliter. Malachias quoque Propheta benedictiones caelestes quibus fideles decimas offerentes Deum replere solet, sic enumerat. Inferte omnem decimam in horreum, & sit sicut in domo mea: & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperero vobis cataractas cali, & effundero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & inceperat per vobis devorantem, & non corumpet fructum terre vestre: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. Cap. III. vers. 10. & seq. Contra vero dira, & atrocia supplicia illis minatur

Deus qui decimas offerre recusant. Hoc tollit scilicet quod non accipit Christus, inquit Augustinus: & habetur in cap. Maiores xvi. quæst. vii. & additur ex eodem Augustino, Inde videmus armigans spoliare rusticos, & alios, quos non spoliavit, si iustas decimas, & integras solvant. Neque excusantur fideles a debito decimarum ob iniquam ministrorum distributionem, vel pravum usum, ut essetiat Wiclefius. Sed debent Dei, & Ecclesie mandatis parere, memores, quod, sive boni, sive iniqui sint ministri, non ab illis, sed a Deo premia fidei percipiunt: quemadmodum contra Dei ministri severissimas penas dabunt, si vota fidelium, si pauperum victum, si Christi patrimonium in usus profanos prodederint. Peccant utique fideles decimarum solutionem omittentes, sed gravius peccant ministri Dei, quos eidem decimis abutuntur, quoties quod eorum visum superfluum, in pauperes non erogant. Enimvero (inquit B. Petrus Damianus Lib. II. epist. xvi.) ut copiosior in pauperes alimenta proficiant, dantur in monasteriis, & eremis decime. Et epistola x. hæc addit. Quædam regale epule, quotidie apparatus, quotidie nuptiale convivium. Et, unde refrigerare deberant indigentes, rubentium tabularum recreant gestatores. Anne proinde mirandum, si populi, cum videant tam iniquam decimarum distributionem, omni industria se subducere ab eorum solutione studeant, si in murmura sæpius erumpant, si adeversus manifestos ac publicos abusus inelantem? Quid mirum, si ministros, nimia severitate decimas exigentes, improbant; evulgentque, se frequentium maxorem austeritatem experiri a decimarum exactoribus quam ab ipsis sæculi avaris divitiibus? Excusatio obvia ministrorum Ecclesie est, se iuramento obligatos esse ad Ecclesie fidei iura facta tunc custodienda ab omnibus præiudicis. Hæc polent prætextum obtrudere, si exactas decimas, non in usus profanos, non in luxum, delicias, & opprobria convivia; sed in pauperum levamen, & in Ecclesie ornatum converterent. Ipsi sunt fideles decimarum dispendiatores; & populi, non iustitiam penis adacti, sed religionis spiritu ducti, & caritatis, qua ardere Pastores suos apexerint, exemplo permoti, hilari animo decimarum tributum solvent.